

§. VII. Spiritualitatis divinæ acerrimi quoque defensores videri volunt perversi Judæi. Hinc Onkelos pariter atque Jonathan in dextrè exponendis אֱלֹהִים דְּפָרוּסוֹ דְּעֵלְיוֹS egregiam locasse operam, profitetur B. Pfeiffer: Critic. S. p. 229. Inmo tertius Judæorum fidei articulus apud Buxtorffium in Synagog. judaic. Cap. III, p. m. 12. sequenti conceptus est modo אֱמֵשׁ שֵׁשׁ אֵינֹו גּוֹף וְלֹא שִׁישִׁיגוּהוּ מְשִׁיגֵי הַגּוֹף וְאֵין לוֹ כֶּלֶל שׁוֹם דְּמִין כֶּלֶל i. e. Fide perfectè a credo, Creatorem, cujus nomen sit benedictum, non esse corporeum, nec ulla ratione corporea comprehensibilem, & nihil omninò extare, quod sit illi simile. Non pœnitebit tamen observasse, quæ Princeps literaturæ Ebraicæ, Buxtorffius, subjunxit p. 24, Maimonidem, articulorum fidei tredecim judaicorum compilatorem, eo utroque collimasse oculo, ut Christianam fidem apud Judæos convelleret. Hinc pergit Buxtorffius: articuli illi, qui Deum Creatorem unum, incorporeum, & æternum asserunt, eò solum spectant, ut doctrinam Christianam de S. S. Trinitate, & Christi personam rejiciant, & condemnent, quasi nos ex Trinitate tres Deos faciamus, & Christus non sit Deus, aut Divinam in se naturam habere non possit, quod non ab æterno, sed certo demum tempore humanum corpus assumerit. Itaque rectissime quidem doctissimus Judæorum Magister, Maimonides, (cujus vitæ curriculum persecutus est Buddens in Introduct. ad historiam Philosophiæ Hebræorum p. m. 122. sqq.) articulo allegato tertio, removet à Deo מֵרַת הַגּוֹף, proprietatem corpoream, rectè quoque asseverat, quando Scriptura Deo res corporeas attribuit, illud fieri עַל דְּרַךְ הָעֵבֶרָה, hyperbolicè, & בְּלִשׁוֹן בְּנֵי אָדָם, אֱלֹהִים דְּפָרוּסוֹ דְּעֵלְיוֹS, id quod pariter in More Nevochim lib. I. Cap. 53, ac in Jad chasaka P I. Tract. 1. Cap. 1. profiteri haud detrectat. Conf. Buxtorff. l. c. p. 16, Carpzov. Diss. de Articulis fidei judaic. Dissp. Acad. p. m. 485. & Hottinogerum in Appendic. Dissert. 4. fascic. Dissertat. Theol. Philolog. p. 81.